

et quantae statuta legis violationes! Ut iterum contra legem non agat et iis non utatur privilegiis, quae ipsi uti Protonotario Titulari aliisque hac dignitate honestatis non competunt, discat, quae sibi sunt vetita ab ipsa Pii VII. fel. rec. Constitutione. En itaque hujus verba: *Nequit praeterea tam in solemnibus quam in Missa privata s. vestes sumere ex altari, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum: Pax vobis etc. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum a simplicibus non differant: sumant proinde s. vestes in Sacratio . . . unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et Duo tantum candelae luceant in altari.* Quod si dubia ipsi, circa haec, res erat et quae sibi privilegia competere nesciebat, debuisset (ut supra adnotatum est) veritatem diligenter investigare et viros in hac materia doctos interrogare et S. R. C. consulere. Haec omnia omisit, imputet ipsi sibi si errores perpetravit, si Canonicos habuit adversantes, si S. C. declaravit omnia, quae praedictus Vicarius sibi convenire praesumpsit, admitti non posse. Id sane significatur in responsione: *Serventur Decreta ac novissima Constitutio quoad Protonotarios s. m. Pii Papae VII.* Idem dicendum quoad locum, quem in processibus occupavit, scilicet male se gessisse, debebat enim locum occupare propriae receptionis, quod non semel a S. R. C. sancitum fuit, et poena ipsa, quae sibi non debitum locum occupantibus infligitur, amissio nempe distributionis, hoc clare demonstrat. Nihil addendum est de fimbriis talaris vestis extensis, quisque enim per se videt extensionem hanc novitatem redolere, cum nonnisi functionariis ea competat.

S. itaque C. haec omnia quae sibi sumpsit memoratus Vicarius Generalis improbavit atque tamquam abusus et Decretis aequae ac Constitutioni contraria rejecit. At S. eadem C. ea quae uti solet sapientia Illustrissimo et Rmo Episcopo Sanctionis executionem mandavit, ut ea quae decet prudentia quaestio omnis tollatur, omnia in pace disponantur et ordinentur, ne scandalum ullum exoriatur et Ritus recte serventur. Episcoporum est enim munus juxta Decreta ejusdem C. advigilare, ut omnia recte peragantur, quae ad s. ritus pertinent, et si quid dubii in his oriatur, S. C. consulere.

PROTOPAPA.

Vd.: *Ritus graeco-latinus* (Constit. Benedicti XIV. incip.: *Romana Ecclesia*).

SS. PROTUS ET HYACINTHUS MM.

Quid mutandum in eorum missa!

Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 40).

PRO-VICARIUS GENER.

Praecedentia.

Pro-Vicarium generalem semper et ubique praecedere debere Dignitatibus et Canonico, non tamen sacris vestibus indutis, in choro autem distributiones non lucrari, nisi sedeat in suo stallo. n. 1623 die 28. Martii 1651.

Cf.: *Vicarius gen.*

PROVINCIALIS.

Sedes.

Vd.: *Missae priv. Abbatis; Mulier. De incensat. Prov.* vd.: *Episcop.* (incensationis series); *Stratum; Pulvinar.*

Provinciali Ord. Min. Conv. in interveniendo sermone in honorem s. An-

toni de Padua in Ecclesia sui Ord. habito non licere sedem cum tapeto paratam et genuflexorium similiter paratum. n. 1652 die 28. Sept. 1652.

PSALLENDI MODUS.

Vd.: *Chorus* (cantus).

Benedictus PP. XIV.

VV. Fr. Episcopis Italiae.

Equidem scimus, in aliquibus Metrop. et Cathedr. Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contentant, dum choro praesentes assistunt, licet sibi silentium imperent neque psallentibus Benef. aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaris aut etiam praetensa Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Trid. sess. 24. c. 12. loquens de Dignitatibus et Canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum Officiis esse dicat: *in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a Canonicis in choro assistitur ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa nunquam in Congreg. Conc. Trid. interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarch. hujus Nostrae Urbis super hoc instantibus, quum denique idem iudicium prolatum reperiat a plur. Conciliis prov. ab ap. Sede approbatis et confirmatis, nihil jam reliquum esse videtur, quominus

pauciores universorum legi se accommodent.

Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiae Canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apost. non praesumptum vel abrogatum sed legitimum ac vigen privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant et consequenter ad eorum restitutionem teneantur.

Quapropter vestrum erit, VV. FF., omnia illis aperire, ut neque Nobis neque Vobis apud divinum iudicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro novisse et confirmasse inveniamur.

Datum Romae die 19. Aug. 1744.

(Bull. r. t. XVI. p. 217 §. 24.)

Cf.: *Missae* (applic. — decr. Benedicti XIV. §. XX.).

Benedictus PP. XIV.

Curam et sollicitudinem Tuam, V. Fr., excitamus, ut horae canonicae pro more et instituto ejusque Ecclesiae canantur seu recitentur, prout decet ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim est magis eccl. disciplinae inimicum aut perniciosum, quam divinam psalmodiam contemptim aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua Canonici aliique Ecclesiarum Metrop., Cathedr. et Colleg. aut quotidie horas can. in choro cantandas tenentur; cui obligationi satis ille utique non facit, qui

S. PULCHERIA.

(Lectiones.)

Vd.: *Lectiones de Scriptura occurr.*

Ad dubium: In Festo s. Pulcheriae in aliquibus Breviariis Lectiones primi Nocturni assignantur de Virginibus, in aliis de scriptura occurrente.

Quaeritur: quae sint recitandae, si in Breviariis ipsis nulla reperitur concessio?

S. C. resp.: „Deficiente speciali concessione servantur Decreta in Santandarien. die 26. Jan. 1793 et in Valentia 19. Septb. 1801 nimirum: Lectiones de scriptura legendas.“ n. 4669 ad 48 die 12. Nov. 1831.

PULPITUM CONCIONATORIS

(Ornatus).

Pulpitum, ubi sermo recitatur in functione lotionis pedum in fer. V. maj. hebd., debet esse ornatum et non denudatum. 4395 ad 24 die 18. Dec. 1779.

Cf.: *Legile; Ambo.*

Ad dubium 1.: An fer. V. in Coena D., in qua post Completorium fit Mandatum vel lotio pedum et postea concionatur Fidelibus in hac Eccl. Cadi-cen., locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornari debeat, ut moris est, colore albo vel potius debeat esse nudus, absque ullo ornatu?

2.: An nocte feriae V. in Coena D., in qua concionatur Fidelibus Sermo de Passione D., locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornatus esse debeat colore nigro, violaceo, an potius absque ullo ornatu?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit

ad 1.: „Sine ullo prorsus ornatu.“

ad 2.: „Ut ad proximum.“

N. 5013 ad 1 et 2 die 14. Junii 1845.

Pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari.

Caer. Ep. l. I. cap. XII. n. 18.

Si Sermo habendus erit in laudem defuncti, Sermocinatorum ascendit pulpitum panno nigro coopertum.

Ibid. l. II. cap. XI. n. 10.

PULVINAR**1) Abbatis in processione.**Cf.: *Genuflexorium Abbatis.*

Non licet occasione processionis SSmi in altaribus per viam erectis Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. genuflectere super scamno cum tapete et pluvinari. n. 3729 ad 8 die 22. Aug. 1705.

Ad dubium: an Abbatibus Ordin. s. Benedicti Congreg. Militensis status Ragusini pontificalibus indutis et genua flectentibus in actu receptionis et restitutionis ss. Reliquiarum, quae per eosdem in processione deferuntur, sit permittendus usus ejusdem pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiep. quam Episcopi Suffraganei?

S. C. resp.: Affirmative.

N. 4005 ad 3 die 24. Nov. 1731.

2) Archiepiscopi, Episcopi.

Vd.: *Genuflexorium Archiep.*; *Instructio Clemen. §. XXIV. n. 3.*; *Praes. (cap. IV.)*; *Pluvinum; Stratum.*

Imposito incenso ad sedem redit Episcopus ad altare, ubi genuflexus super pulvino incensat SSmum.

Caer. Ep. l. II. cap. XXIII. n. 12.

Poterit (in Matut. tenebrarum) in sede Episcopi adhiberi pulvinar pro ejus commoditate, si voluerint.

Ibid. cap. XXII. n. 17.

3) Cleri inferioris.

Ad dubium: an liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, etiam quando descendit, vertendo terga ad altare pro impositione Cinerum ac distributione candel. et palmar. et pro quacunquē alia functione ecclesiastica?

S. C. resp.: Non licere.

N. 3987 ad 1 die 20. Aug. 1729.

Ad dubium: an liceat, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus Civitatis vulgo Regidores utatur eodem tapete et pluvinari in iisdem functionibus?

S. C. resp.: Negative.

N. 3987 ad 2 die 20. Aug. 1729; n. 3994 die 9. Dec. 1730.

4) Dignit. et Canon.Cf.: *Pulvinum; Stratum.*

Non competere Dignitatibus usum pulvinarium. n. 2274 ad 3 die 24. Maii 1664.

Non licere Archidiacono uti pulvinari serico sed corio tantum. n. 2514 ad 1 die 13. Sept. 1670.

Prima Dignitas Cathedr. Spolet. non potest uti in Litaniis cantandis pulvinari. n. 2967 ad 8 die 20. Septb. 1681.

Canonicus celebrans mitratus Cath. Panormitanae non potest uti pulvina ad pedes. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Primicerio Collegiatae s. Joannis Neapolis in choro non debetur pulvinar ex pelle. n. 3430 ad 5 die 22. Junii 1697.

Praeposito et Decano Cathedralis Herbipolen. in choro et in aliis partibus ejusdem Ecclesiae nec non etiam in aliis Ecclesiis civitatis et dioecesis non licet uti pulvinaribus cum stratis seu tapetibus ex oloserico sive velluto, sed posse permitti pulvinar laneum

coloris violacei. n. 3500 ad 1 et 2 die 22. Nov. 1698.

Non licet Canonico Cathedr. Burgi usus pulvinaris sub genubus in concello et in gradibus altaris Episcopo praesente. n. 3516 ad 1 die 4. Apr. 1699.

Ad dubium: an Canonici Metrop. Urbini celebrantes praesente Archiepiscopo possint uti pulvinari pro genuflectendo?

S. C. resp.: Probetur consuetudo formiter. n. 3549 ad 2 die 23. Jan. 1700.

Ad dubium: an Canonico vel Dignitati Vesperas infra annum cantanti debeat pulvinar et tapete ante ipsum?

S. C. resp.: Absente Episcopo juxta *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 3. debetur pulvinar et tapete pro hebdomadario Canonico. n. 3597 ad 7 die 10. Septb. 1701.

Non licet Canonicis in s. functionibus in Ecclesiis extra Cathedrali uti pulvinari. n. 4434 ad 2 die 27. Maii 1788; n. 4063 ad 4 die 3. Aug. 1737.

Non convenire sed debere tam Priorem quam Archidiaconum in choro in suo loco sedere sine strato, prout sedent alii Canonici; indulgendum tamen esse ratione Dignitatis, ut pulvinar tantum corium tam pro Priore quam pro Archidiacono apponatur. n. 451 die 24. Mart. 1612.

Non licet Canonicis usus pulvinaris sub genubus etiam praesente Episcopo in functionibus ecclesiasticis. n. 4585 ad 3 die 20. Apr. 1822.

Ad dubium: Utrum consuetudinis immemorabilis vi liceat Canonico celebranti uti pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo?

S. C. resp.: „Probetur formiter asserta consuetudo.“ n. 4672 ad 12 die 12. Nov. 1831.

eccles. psalmodiae munere nulla animi attentione oscitanter indiligenterque perfungitur. Innocentius III. in Conc. Lat. relato in cap.: *Dolentes de celebratione Missar. de eadem obligatione loquitur: Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum offic. nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.* Ubi Glossa explicans verbum illud: *studiose* haec subjicit: *quantum ad officium oris, id est sine syncopa; et ad verbum devote* adnotat: *Quantum ad officium cordis.* Clem. V. in Conc. Vienensi in sua Constit. Gravi sub titulo: *de celebratione missarum* loquitur: *ut in Cathedr., Regul. et Colleg. Ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Et Conc. Trid. cap. 12. sess. 24. de Ref. tractans de obligationibus Canonicorum saecul.: *Omnes vero, inquit, Divina per se et non per Substitutos compellantur obire officia et Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire; atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte et devote laudare.*

Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praecipue minime sit aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant et ut altera pars chori versiculum psalmi subsequentem non exordiat, priusquam altera antecedentem absolverit. Nec prius psalmi una pars chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi et versiculi finiantur. Sunt verba Conc. Salmuriens. anno 1253.

Demum cantus vocibus unisonis peragatur et chorus a peritis in cantu eccles. regatur. Hujusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum elaboravit s. Gregorius M. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique

ille est, qui, si recte decenterque peragatur, a piis hominibus libentius auditur et alteri, qui cantus harmonicus seu musicus dicitur, merito praefertur. Hunc quidem Monachi a Presbyteris saecul. didicerunt, et cum ab ipsis accurate diligenterque tractetur sacrisque in functionibus adhibeatur: contra autem negligatur a nonnullis Clericis oscitanterque persolvatur; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regular. Ecclesiae quam Saecularium adeantur, ut bene advertit Jac. Eveillon in suo tractatu de recta ratione psallendi ad cap. 9. art. 9. pag. 99.: *Sordescit quippe s. auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut relictis hodie Ecclesiis Colleg. et Paroch. tam libenter et avide concurrat populus fidelis ad Ecclesias Monachorum, qui magistrum habentes in colendo deo pietatem, sancte, moderate et, ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt et Domino suo ut Domino et Deo cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis et majoribus, a quibus Monachi et canendi et psallendi artem omnem ac regulam didicerunt.*

Et ideo s. Conc. Trid. *) inter caetera, quae Seminariorum Alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis: *Ut vero in disciplina eccles. commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur, grammatices, cantus computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

Epist. Encycl. Benedicti XIV. ad Episcop. ditionis eccles.

Die 19. Febr. 1749.

(Bull. r. t. XVIII. p. 11.)

*) C. 18. Sess. 23. de Ref.

Omnes de choro ac alii ministri se debunt et Psalmi decantabuntur cantu Gregoriano cum pausa ad puncta et ad flexiones et clara voce per Canonicos et alios de choro reverenter. Caer. Ep. l. II. c. V. n. 3.

Psalmi decantari debent a choro in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed vers. Gloria P. etc. poterit solemniori vocis modulatione recitari. Caer. Ep. l. II. c. I. n. 8.

Canonici Cathedr. Ulixbon. Orientalis tenentur non solum interesse divinis officiis, verum etiam psallere sub poena privationis distributionum.

S. C. C. die 5. Dec. 1722; 27. Sept. 1732.

Benedictus PP. XIV.

Ad Patriarcham Aquilej.

Nolumus inter tot tantaque privilegia Capitulo et Canonicis Ecclesiae Veronens. concessa memorandum esse illud, quod antiqua traditione contra SS. Canonum Sanctiones ac nostram praesertim Constitutionem: *Cum semper oblatas* invecum ab ipsis Canonicis servatur, interessendi dumtaxat choro et cum caeteris Mansionariis, Capellanis et Clericis canentibus psallentibusque assistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorundem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment.

Itaque a Te, Dil. Fili, poscimus et flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum et corruptelam ab ecclesiast. disciplina absonam et canonicis ordinationibus ac nostrae quoque Constitutioni contrariam penitus evellere et eradicare adnitaris, verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et hor-

teris, ut in posterum, qua decet et tenentur, reverentia choro intersint adsistantque nec non pari pietate, attentione ac vigilantia omnino canere vel psallere cum caeteris studeant et contendant.

Deinde iisdem edicas et notum facias, Nos decernere atque statuere, ipsos suosque successores Canonicos choro quidem interessentes adsistentesque minime vero canentes psallentesque nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.

Caeterum volumus et mandamus, ut nulli eorundem Canonicorum, qui, licet praesens in choro adsistat, tamen minime canat psallatve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia, quae unicuique moderno et pro tempore existenti Canonico concedimus et elargimur.

Datum Romae die 19. Jan. 1748.

(Bull. r. t. XVIII. p. 315, vel Bull. Bened. XIV. t. III. p. 586.)

Benedictus PP. XII. de ref. Ord. FF. Min. s. Francisci de Assisio.

In primis circa agendum divinum Officium in eodem ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum et horarum principia fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace et cum debita gravitate permaneant, cantent et orent et usque in finem unanimiter perseverent.

Quia vero cantus ecclesiast., divinae laudis sacrificium fructusque laborum canentium non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debent, eosdem fratres

hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvantur; gestus leves et cantus dissolutos seu fractos omnino declinent; tractum psallant debito more, incepta, quae simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pausent.

Ordinamus etiam, quod in singulis ordinis praedicti conventibus hora sexta, sicut aliae horae, cum nota dicatur. Custodes autem et guardiani eorumque vicarii diligenter intendant, quod praescriptus modus conveniendi ad chorum et dicendi divinum Officium jugiter observetur. Si quem autem in aliquo praemissorum culpabilem compererint, debite puniant secundum delicti exigentiam sive culpae. Minister vero generalis seu provincialis ipsos custodes et guardianos eorumque vicarios, quos super ordinationis hujusmodi observantia deprehenderit notorie negligentis, a suis officiis tamquam inutiles debeat amovere: forma tamen circa hujusmodi annotationem descripta inferius observata; nullusque frater eximatur a choro, sed omnes fratres teneantur ire ad omnes horas canonicas et ad missas, exceptis aegrotantibus actu et multum antiquis, super quibus guardianus habeat arbitrari, et magistris et lectoribus ac bachalauriis in generalibus studiis constitutis et legentibus in aliis studiis, dum actu suas continuant lectiones; exceptis etiam studentibus, dum in lectionibus theologiae vel disputationibus ordinariis fuerint occupati. Porro illi de praedictis, qui, ne ad matutinum in oratorio cum aliis convenient, sunt excepti, hora congrua simul ad capitulum vel locum alium idoneum convenient et ibidem simul officium matutinale persolvant. Ad hoc autem astringi nolumus graviter aegrotantes vel lectores actu legentes, qui commode nequeunt interesse.

Die 28. Nov. 1336.

(Bull. rom. t. IV. p. 392. Ed Aug. Taur.)

*Bened. PP. XII. ad Canon. regul.
Ord. s. Augustini.*

Hortamur, quod in Ecclesiis, monasteriis sive locis aliis conventualibus, cum modestia, humiliter et devote horis nocturnis et diurnis ad divina officia universi et singuli Canonici studeant convenire; ipsaque non transcurrendo aut syncopando, sed tractim et distincte psallant et celebrent devote. Sane in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis et locis aliis conventualibus religionis ejusdem, Missa major per Canonicum celebretur. Et si inibi magnus et ad hoc sufficiens fuerit Canonicorum numerus, in Officiis Diaconatus et Subdiaconatus ministrent hujusmodi celebranti et qui hebdomadarius fuerit Missae majoris, cessante impedimento legitimo, horas canonicas incipiat et collectas orationes dicat. Transgressores vero praemissorum debite subiaceant disciplinae.

Die 15. Maii 1339.

Ibid. p. 456.

*Martinus PP. V. ad Frat. Minor.
Conv. s. Francisci.*

Statuimus et ordinamus servandam esse Constitut. Benedicti XII. cap. 1., ubi sic dicit: In primis, circa agendum Officium divinum in eodem Ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante Missarum et horarum principia fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum concurrant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine risu, murmure, discursu et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace, cum debita gravitate permaneant, cantent et orent et usque in finem unanimiter perseverent. Quia vero ecclesiasticus cantus, divinae laudis sacrificium fructusque laborum canentium, non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debent,

eosdem fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvant, gestus leves et cantus dissolutos et fractos omnino declinent, sed tractim psallant, debito more incepta, quae simul canenda fuerint, simul concinant, simul pausent etc. ut in d. cap. habetur. Hoc addito, quod de cantu in locis, ubi pauci sunt fratres, qui non sufficerent ad cantandum, vel alia rationabili causa praelati possint dispensare, quum viderint expedire.

Anno 1430.

Ibid. p. 738.

PSALLENDI ORIGO.

Secunda Ecclesiae pars dicitur chorus sic etymologice dictus a chorea vel corona, quia olim Clerici in modum coronae circa Aras stabant et eo modo Psalmos canebant; *Durand.* in Rational. lib. 1. cap. 1. n. 18., *Selva* part. 1. quaest. 5. n. 44., *Gavant.* in Thesaur. sacror. rit. par. 1. tit. 16. verb.: In choro, *Brunus* de Caeremoniis lib. 5. cap. 2. et alii. Unde chorus significat locum, qui Clericos psallentes continet; cap.: *Dilectus, extrav. de praebend. et dignit. in antiq.*; *Calvin.* in suo lexico verb.: *Chorus*, et ut ait *Polyd. Virg.* de invent. rer. leg. 6. cap. 2. Chorus multorum vocibus constat, ita ut ex pluribus una reddatur fiatque concertus ex dissonis; 1. *Cum ejusdem 34. ff. de leg. 2.* Hinc tempore Constantis Imperatoris Flavianus et Theodorus adversus Arianos decertantes, in duas partes canentium choros dividentes, ex successione Davidicam melodiam canere docuerunt, idque primum in Antiochia factum, postea in alias orbis terrarum partes propagatum et a s. Damaso confirmatum, ut legitur in lectione 6. ejus Officii die 11. Dec., et a Theodoro et *Durand.* refert Daniel de Nobilibus in

disput. select. disp. 50. n. 161. Immo *Selva, Durand.* l. c. dicunt, quod beatus Ignatius, qui post beatum Petrum tertius Antiochena Ecclesiae Antistes extitit, fuit primus, qui praecepit et induxit morem alternatim Psalmos canendi in Antiochena Ecclesia, notantes id factum fuisse ad imitationem Angelorum et Spirituum coelestium laudantium Deum quasi reciproca voluntate; et talis mos exinde propagatus fuit in Orientales; *Spino* in spec. testam. gloss. 4. in princip. n. 66., et in Occidentali Ecclesia primus cum auctoritate s. Damasi Mediolani instituit s. Ambrosius; *Barbosa* cum pluribus in collectan. ad text. in cap.: *Dolentes*, de celebrat. Missar. n. 14.

PSALMI

1) Graduales.

a) Anticipatio.

Vd.: *Regul.* (Off. decr. de die 31. Augusti 1839 ad III.); *Offic.* (oblig. ad quod? decr. n. 4874 ad 3.)

b) Obligatio recitandi adestne?

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (oblig., decr. n. 4631); *Regul.* (Off. decr. 31. Aug. 1839 ad III.)

Ad dubium 1.: An Canonici civitatis Acerarum ultra horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V. et Psalmos poenitentiales et graduales, sive potius sit servanda consuetudo? Et quatenus affirmative;

2.: an in casu deficientiae sit exequenda poena ab Episcopo imposita?

S. C. C. resp.

ad 1.: Servandam esse consuetudinem;

ad 2.: Negative.

Die 23. Aug. 1727.

Suessana.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Ad dubium: An in Cathedr. Suessana sint recitandi Psalmi grad., poenit., Off. parv. B. V. M. ac Defunctorum in diebus designatis a rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Ad formam Bullae PP. Pii V.

Die 18. Aug. 1708 ad 2.

Bulla PP. Pii V.

Nos propter variae hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea praescriptione (recitandi Ps. grad. et poenit.) removendum duximus, verum omnes in Domino cohortamur, ut remissionem nostram sua devotione praerurrentes illis suffragiis suae et aliorum saluti consulere studeant, *atque omnibus, qui in diebus in rubricis praefinitis 7 Ps. grad. vel poenit. dixerint, quinquaginta dies de injuncta ipsis poenitentia relaxamus.*

Dat. Romae die 15. Junii 1568.

Triventina.

In relatione status Ecclesiae Triventinae, quam Episcopus nuper transmisit ad hanc S. C., occasione visitationis SS. LL. id postulatum adjecit: In choro a Canonicis ac aliis, qui ad Divinum Officium tenentur, nunquam antea Officium defunctorum, Psalmi graduales ac poenitentiales in diebus praescriptis a rubrica Breviarii Romani recitabantur; hinc modernus Episcopus eisdem injunxit ejusmodi recitationem, quemadmodum jam coepta extitit et per aliquod temporis spatium continuata. Modo renuentibus iisdem Canonicis eam continuare, sub praetextu quod talis obligatio minime iis incumbat, supplicat propterea Episcopus, pro sui dictorumque suorum subditorum

conscientiarum quiete, ut ab EE. VV. declaretur:

An in Ecclesia Cathedrali Triventina sint recitandi Psalmi graduales, poenitentiales ac Officium defunctorum in diebus praescriptis a rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Dentur decreta.

Die 18. Julii 1711.

Canonici extra chorum Officium persolventes non tenentur ad Psalmos graduales, ad Officium def., B. M. V. etc. quae quidem Officio sunt onera tantummodo ex praeepto implenda in choro. n. 4119 ad 9 die 2. Sept. 1741.

Canonici Colleg. montis s. Firmanae dioec. non esse cogendos ad recitationem in choro psalmod. poenitent. et gradual. n. 4254 die 14. Junii 1755.

Canonici Cathedr. Nucerinae praeter solitum non potuerunt ab Episcopo adstringi ad recitandum in choro Psalmos grad., poenitentiales et Officium mortuorum. n. 813 die 11. Junii 1629.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (approbatio.)

c) Tempus.

Vd.: *Officium* (ad quod oblig.; decr. n. 4874 ad 3); *Officium parv. B. V. M.* (Tempus; decr. n. 5148.)

2) Poenitentiales.

Vd.: *Psalmi grad.*; *Off. parv. B. V. M.* (praecipue, decr. n. 4631); *Extrema unctio Monialium.*

3) Recitatio.

Circa recitationem psalmod. servari Caeremoniale (lib. II. cap. I.) n. 837 die 26. Nov. 1629.

Vd.: *Psallendi modus.*

PSALTERIUM B. V. M.

Approbatio antiqui ritus orandi, qui Psalterium B. M. V. nuncupatur, cum indulgentiarum pro sic orantibus elargitione.

Sixtus IV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ea, quae ex fidelium devotione, ad Dei omnipotentis et gloriosae V. M. laudem et gloriam pie ordinata sunt, ut firma permaneant, nostrae approbationis robore solidamus ac fideles ipsos ad devotionis opera exercenda indulgentiis et remissionibus libenter invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores, maxime cum catholicorum principum id exposcit devotio et hoc conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane, pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci ducis et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaritae ejus conthoralis, ducissae Britanniae, nobis fuit nuper propositum quod in ducatu Britanniae et pluribus aliis locis, crescente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra, innovatus est certus modus sive ritus orandi pius et devotus, qui etiam antiquis temporibus a christifidelibus in diversis mundi partibus observabatur, videlicet, quod quilibet volens eo modo orare dicit qualibet die ad honorem Dei et B. V. M. et contra imminetia mundi pericula toties angelicam salutationem: Ave Maria, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, videlicet centies et quinquagies, singulis decem salutationibus hujusmodi orationem dominicam semel praeponendo. Et iste ritus sive modus orandi Psalterium V. M. vulgariter nuncupatur.

§. 2. Unde dux et ducissa praefati, propter singularem et sinceram, quam ad ipsam B. V. M. gerunt, devotionem cupiunt ritum sive modum orandi praedictum ad obstruendum ora aliquorum detrahentium, per Sedem

Apostolicam approbati. Quare, pro parte ducis et ducissae et aliorum fidelium plurimorum, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ritum sive modum orandi hujusmodi approbare aliasque super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur, tam ducis et ducissae quam aliorum fidelium piam devotionem in Christo habentium commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praefatum Psalterium sive modum orandi praedictum, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus illumque tolerandum fore ac cunctis fidelibus eo modo orare debere et licere decernimus et declaramus.

§. 4. Et ut omnes et singuli christifideles ad devotionis opera et praedicto modo orandum eo ferventius inducantur, quo exinde animarum suarum facilius salutem consequi speraverint, universis et singulis christifidelibus praefato modo orare volentibus, ubilibet existentibus, praesentibus et futuris, pro qualibet vice qua, sicut praemittitur, oraverint, pro qualibet quinquagena praefati Psalterii, quinque annos et totidem quadragenas indulgentiae misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula loca in quibus illis opus esset, etc.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum, anno Incarnationis dominicae 1479, quarto, alias 7. Idus Maii, Pontificatus Nostri anno 8.

Datum die 12., alias 9. Maii 1479, Pontif. anno 8.

(Bull. r. t. V. p. 268. Ed. Aug. Taur. 1860.)